

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Epistolarvm [epistolarum] D. Philippi Melanchthonis Farrago**

**Melanchthon, Philipp**

**Basileae, 1565**

**VD16 -M3220**

Christophoro Ruellio S. D.

[urn:nbn:de:bsz:31-312770](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-312770)

dum enim certò scimus, an omnino decreuerit cognoscere controuersias religionis. Non enim dubiù est, quin oí christiáns miris machinis oppugnèt animum Cesaris, ut à cognitione absterreant. Reliquum est igitur, ut uos nobiscum oretis Christum (qui certò ascendit in cœlos, ut daret dona hominibus) ut letam huius conuentus catastrophæ nobis concedat. Vnus uir est in aula Imperatoris, Cassellarius D. Mercurinus, uir sapiētissimus, quem auiunt constanter in ea manere sententia, ut sine uolentia res cognoscatur. Fertur esse Inuictiss. Carolo V. Imperatori planè, quod Vlpianus erat Alexandro Seuero. Hanc apud Imperatorem et auctoritatem & gratiam pepererunt ei summæ ingenij dotes, prudentia & scientia ciuiliū rerum maxima, cognitio & nostræ doctrinæ & aliarum literarum nentiquam uulgaris. Vale. Datæ Augustæ, die Ascensionis filij Dei, Anno 1530.

Christophoro Ruellio S. D.

Cum pro meo erga te amore de studijs tuis cogitem, duxi te admonendū esse de quadā parte primarum exercitationū. Tempus est, meo iudicio, ut incipias prosodiam discere, ut coneris uersus facere. Quod etsi initio subdificile uidebitur: tamē paulatim usus hanc exercitationem & iucūdiorem & faciliore efficiet. Quia nolim te difficultate primi co-

A      natus

natus deterreri, atq; animo frangi, præsertim cum hæc exercitatio maximas pariat utilitates. Res est per se liberalis & digna tua natura, intelligere hæc in uersibus iungendis musicã. Videtur enim ad has humanissimas artes aptus esse, in quibus cum eloquentia, tum poetica inest. Deinde Latini sermonis copiam atq; elegantiam adfert: & grammaticus eris melior, & omnino iudicium acuet hæc exercitatio de omni ratione scribendi. Ego autem ita statuo, summo studio tibi incumbendum esse in omnia quæ ad eloquentiam cõducunt: teq; hunc finem tuorum studiorum proponere debere, ut adferas ad Rempublicam dicendi facultatẽ. quæ quale habeat ornamentum, facile poteris audire ex patre tuo, uiro optimo, & prudētissimo. Hoc consilium exponere præceptori tuo, & quid decreuerit rescribito. Vale, Anno 1533.

Magistro Bernhardo Bomgartnero  
Vlcensi, amico suo.

Quod aliquoties abs te prouocatus amãtissimis literis hæctenus non respondi, uelim te, mi Bernhardede, tantum occupationibus nostris tribuere: quæ maiores et grauiores hac hyeme fuerūt, quàm aliàs unquam. Nam & conuentibus interfuius, & uariè nos regum legati exercuerunt. Dedi autem hoc breue epistolium Ionæ, ut D. Pontani & meis uerbis